

Possunt vero eidem prævium tractatum exponere, illumque adprecari ut beneficia iterum eisdem renunciantibus juxta prævium tractatum concedat *c. 7. de transact.*

29. Ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit '*Humano via judicio*' edita nonis Januarii 1583. resignationes et permutationes quæ fiunt in manibus Ordinarii debent intra mensem vel admitti vel rejici, et provisi tenentur eas publicare et beneficii possessionem capere intra tres menses a die factæ provisionis sub pœna ipso facto secutura nullitatis provisionis et beneficii. Qui providentur de beneficio vel per resignationem vel per permutationem factam apud S. Sedem, debent sub eadem pœna prædictam publicationem exequi et possessionem capere intra sex menses citra montes, intra novem menses ultra montes a data concessionis gratia. Ita in cit. Const. Gregorii XIII. quam constitutionem confirmavit Benedictus XIV. in Const. quæ incipit '*Ecclesiastici*' diei 15. Junii 1740. At Reiffenstuel *h. t. n. 135.* notat cum Garzias *part. II. de Beneficiis cap. 3. n. 289.* gregorianam constitutionem quoad resignationes et permutationes Beneficiorum non esse ubique usu receptam.

30. De effectibus renunciationis. — Primarius effectus ex quo omnes fere alii inferuntur est ut acceptata per Superiorem renunciatione, censeatur beneficium vacare. Quare renuncians amittit titulum beneficii et omne jus quod habebat, ita ut quoad beneficium reputetur tanquam mortuus. Hinc 1º. renuncians solvitur ab omnibus obligationibus beneficio adnexis, sive quoad pensiones quibus fortasse beneficium gravatur, sive quoad officium et residentiam. Hinc 2º. non amplius sese immiscere potest in beneficii administratione, nec fructus percipere, nec officium exercere. Et si nolit recedere a beneficio, potest compelli ad deserendum beneficium resignatum *c. 12. h. t.* Immo nec renuncianti datur pœnitentiæ locus, qua possit ad beneficium regredi *c. 3. h. t. et can. 'Quam periculosum' caus. 7. q. 1.* Ratio datur ex principio generali admissio in *c. 16. De Elect.* Qui juri suo semel renunciat, non potest postea ad illud redire. Cæterum hæc dicta sunt de renunciatione spontanea prout statuit *c. 6. h. t.* Nam si renuncians petat iterum suum beneficium, impugnans factam renunciationem quatenus ea fuerit vi vel metu extorta, audiri debet *cap. 5. h. t.*

31. Renunciatio autem acceptata non impedit quominus renuncians ex novo titulo, ex. gr. ex electione possit beneficium iterum consequi. At id non intuitu prioris possessionis et juris, cui nuncium dederat, sed ex nova vocatione et nova collatione canonica *capp. 2. et 3. h. t.* Ex quo consequitur Clericum ad beneficium iterum admissum non consequi jura præcedentiæ vel prioritatis in tempore, sed ultimum locum inter æquales occupare debere.

TITULUS X.

De supplenda negligentia Prælatorum.

1. Cum negligentibus Prælati inferioribus in Clericis ad beneficia vel munia ecclesiastica assumendis, ex ecclesiastico jure, Prælati superiores beneficia conferant hinc in tractatu de personis ad officia ecclesiastica promovendis agit B. Raymundus de supplenda negligentia Prælatorum. Ut vero res plenius tractaretur, non tantum agit in titulo de negligentia Prælatorum supplenda in collatione beneficiorum, sed etiam in administranda justitia. In sensu autem tituli non est negligentia confundenda cum crimine Prælati, nam ad abusus corrigendos ex crimine aliquo ortos dantur alia remedia juris. Sic etiam est distinguenda ab excessu in usu potestatis. De excessibus enim Prælatorum corrigendis agit *tit. 31. in Lib. 5.* Hic ergo negligentia significat omissionem eorum ad quæ tenetur Prælati sive ex jure sive ex consuetudine ratione beneficii sui, ac potestatis qua gaudet. Can. '*Negligere*' *caus. 2. quæst. 3.* Negligentia corrigenda vel respicit collationem beneficiorum, vel administrationem justitiæ. Ex quo sequitur in titulo nomine Prælati seu Superiorum proprie non quemlibet Prælatum intelligi, sed eas personas intelligi quæ jurisdictione vel administratione in Ecclesia gaudent, vel jure aliquo pollent in beneficiis conferendis.

2. Hisce positis sit primum de supplenda negligentia Prælatorum in collatione beneficiorum. * Cum diu beneficia vacare non debeant, persolvenda enim sunt officia sacra in Ecclesia; definitum est tempus in jure sive ad præsentandam personam idoneam, sive ad electionem Prælati celebrandam, sive ad collationem beneficii perficiendam. Videlicet ex *cap. 2. et 5. De Concess. Præb.* tempus utile ad conferenda beneficia liberæ collationis est semestre.

Ex cap. 41. De Elect. tempus utile ad eligendum Episcopum vel Prælatum Regularem est trimestre. Tempus hoc sive sex sive trium mensium incipit decurrere a die habitæ certæ notitiæ vacationis beneficii c. 3. h. t. Quoad vero beneficia juris patronatus, patronus laicus habet menses quatuor, ecclesiasticus vero habet sex menses ad præsentandum c. 1. *De jure patr. in 6^o. §. 2.* Qui autem jure suo intra tempus definitum uti negligit, nec legitime impeditus fuerit, pro ea vice eodem jure uti prohibetur, et illud jus ad Superiorem devolvitur; ita ut elapso tempore utili, non detur moræ purgatio, sed ipso facto jus devolvatur ad Superiorem, et dies, ut aiunt, interpellat pro homine c. 2. *de Concess. Præb., Gloss. finalis* in c. 3. h. t. et Abbas *com. in idem caput n. 5.* Hinc qui de beneficio disponere poterat, elapso tempore disponere amplius nequit c. 3. et 5. h. t. Porro legitime impeditus censetur et ille qui ob suspensionem qua detinetur, non potest jura sua exercere c. 5. *De Concess. Præb.* Dispositio autem c. 2. *de Concess. Præb.* non applicatur illis Ecclesiis, in quibus determinatus non est numerus canonicorum c. 10. eod. tit.

3. Quibus positus, quæritur, quid sit dicendum si ordinarius collator post tempus utile elapsum conferat beneficium. Estne nulla collatio per se, vel est declaranda irrita per judicis sententiam? Dicendum est, per se collationem esse nullam, eo quia collator si negligat conferre beneficium intra tempus juridicum, pro ea vice ipso jure privatur potestate conferendi c. 2. *de Concess. Præb.* Quare collatio inde facta, non valet ex defectu potestatis in collatore. At juxta c. 4. h. t. ex patientia et benignitate Ecclesiæ tolerari potest; ita ut in casu applicari possit principium juridicum *cap. Dudum 18. in fin. De Præb. 'Multa fieri per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuissent in judicium, exigente justitia, non deberent tolerari'*. Unde collatio nulla, post manifestatam tolerantiam superioris eam approbantis, convalescit ex dispositione juris expressa in c. 4. h. t. Quoniam vero collatio de jure naturali est valida, et indulgentia et patientia superioris præsumi potest, quousque contrarium non constiterit; hinc juxta Doctores Layman *q. 11. et com. in c. litteras 4. h. t.* et Pirhing *h. t. n. 5. not. 4.* licet collatio talis sit irrita, vel saltem irrita declarari possit a judice, tamen provisus tuta conscientia beneficium retinere potest quoadusque nemo canonice provisus sese opponat.

4. Porro superior ad quem devolvitur collatio seu provisio de beneficio est ordinarie qui immediate præest et beneficia ordinarie confert. Hinc in Diocesi est Episcopus qui supplet negligentiam patronorum et aliorum collatorum. Quare si Capitulum negligat beneficia conferre, quæ privati sui juris sunt, provisio ad Episcopum devolvitur. Quod si Episcopus negligat, distinguendum est an sermo sit de beneficiis quorum collatio pertinet jure proprio ad Episcopum, et an sermo sit de beneficiis quæ Episcopo subduntur jure vel privilegii vel delegationis, vel devolutionis. Negligente Episcopo in conferendis beneficiis prioris generis, potestas eadem conferendi jure decretalium devolvitur ad Capitulum propter juridicam communionem et participationem in regimine Dioceseos, quæ jure Decretalium intercedebat inter Capitulum tanquam corpus et Episcopum tanquam caput. Traditur hæc dispositio in c. 2. *de Concess. Præb.* Negligente autem capitulo ad Metropolitanum jus conferendi devolvitur eod. c. 2. In secundi generis vero beneficiis negligentiam Episcopi non Capitulum, sed Metropolitanus illico supplet. Hisce autem negligentibus ad Rom. Pontificem devolvitur jus collationis. Verum hodie quoniam Capitulum Cathedralis Ecclesiæ communi consuetudine non administrat Dioceseos negotia cum Episcopo, in facto non supplet negligentiam Episcopi in collatione beneficiorum; sed negligente Episcopo, beneficium confert alius Superior cui subest Episcopus negligens.

5. Si vero agatur de Ecclesiis exemptis deque beneficiis earum, jus devolutionis in casu negligentiae ad Rom. Pontificem spectat c. 32. *de Præb. in 6^o.* Si sermo sit de Prælatibus Regularibus, qui jus habent conferendi beneficia vel sæcularia vel regularia hæc distinctio facienda est. Si intra semestre Prælatum non conferat beneficium, vel Prælatum est Episcopo subjectus, et tunc Episcopus supplet ejus negligentiam, vel Prælatum est exemptus et beneficium pariter est exemptum, et in hoc casu jus collationis devolvitur ad Sum. Pontificem, vel Beneficium non est exemptum et in hac hypothesis Episcopus loci negligentiam Prælati auctoritate apostolica supplet. *Clem. un. h. t.*

6. Speciem collationis beneficii induit quodammodo benedictio quæ Abbati confertur ab Episcopo. Consequitur enim Abbas ex benedictione potestatem exercendi munia abbatialia quæ sine benedictione exercere non posset. Talis est potestas conferendi lectoratum in monasterio ex c. 11. *de Ext. qual. præfici-*

endi. Talis est potestas benedicendi suos monachos. Hinc merito de negligentia Episcopi in hac benedictione impertienda loquitur c. 1. h. t. et statuit, Episcopo ter humiliter rogato renuente Abbatem benedicere, huic licere monachos benedicere et reliqua officii proprii peragere, donec Episcopus in melius consilium mutaverit. Accessit *Const. Bened. XIII.* quæ incipit '*Commissi*' edita die 6. Maj. 1725. In ea decernitur 1^o. ut omnes Abbates etiam perpetui intra annum ab electione benedictionem suscipiant ab Episcopis in quorum Diœcesibus monasteria existunt, servato ritu Pontificalis Romani; statuit insuper Pontifex ut Abbates postulent humiliter et devote ter ab Episcopo benedictionem ad normam c. 1. h. t. Si secus fecerint, decernitur contra ipsos suspensio ipso jure ab officio per annum. Decernitur 2^o. ut durante præfato termino et interim Abbates possint exercere omnia munia abbatialia, et ut Abbas semel benedictus non sit iterum benedicendus, licet ad aliud monasterium transferatur. 3^o. Conservatur privilegium directe concessum Abbatibus suscipiendo benedictionem a quocumque catholico Antistite, qui gaudeat gratia et communione cum sede Apostolica; quoad vero Abbates qui hoc privilegium assecuti fuerant ex communicatione privilegiorum, privilegium prædictum limitatur ad casum in quo Episcopus loci tertio requisitus benedictionem impertiri detrectaverit. 4^o. Nihil innovatur circa privilegium quibusdam Abbatibus directe a S. Sede concessum ut reciperent benedictionem a suis superioribus regularibus. Nihil etiam innovatur circa speciale indultum quod Abbates aliqui obtinuerint ut electi haberentur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice.

7. De supplenda negligentia Prælatorum in administratione justitiæ. — Servanda est hodie dispositio Conc. *Tridentini* in c. 20. *sess. 24. de Ref.* Constituit Concilium ut omnes causæ ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes debeant in prima instantia coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci. Excipiuntur autem causæ quæ juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis Suæ manu propria subscribendum committere, aut avocare. Causæ autem coram locorum Ordinariis propositæ debent terminari infra biennium a die motæ litis; quod si terminatæ non fuerint intra hoc tempus, liceat utrique vel uni ex colligantibus

auctoritatem superioris competentis invocare, qui causam in eo statu in quo reperitur assumit, et quamprimum terminare tenetur. Superior ergo supplet negligentiam Ordinarii inferioris in causarum cognitione. At hæc potestas Superioris respicit casum litis jam inceptæ. Quid vero dicendum si Ordinarius inferior detrectet causam suscipere, et aggredi cognitionem causæ hujusmodi? Non videtur esse locus supplendæ negligentiae ex parte superioris, ut causam ad se trahere possit. Etenim Concilium solummodo admittit casum in quo lis incepta non finiatur intra biennium, et absolute edicit ut causæ omnes in prima instantia coram locorum Ordinariis tractentur. Quare magis menti Patrum Tridentinorum consona videtur sententia, quæ tenet, in facta hypothesisi superiorem posse monere et efficaciter inducere Ordinarium inferiorem ad causam suscipiendam, non vero posse causam ad suum tribunal avocare.

8. Mentio specialis facienda est dispositionis capituli 3. h. t. in 6. in quo statuitur, ut si Episcopus a paganis vel schismaticis capiatur, non Archiepiscopus sed capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in spiritualibus et temporalibus administrare debeat, donec vel Episcopus fuerit libertati restitutus, vel Ecclesiæ utilitati a Rom. Pontifice de hac re per Capitulum admonito fuerit provisum. Ut autem verificetur Capituli jus, requiritur ut Episcopi absentia æquiparetur morti civili, ceu notat *glossa in cap. hoc v. 'Capitulum'*, ita ut Episcopus absens Diœcesim nequeat administrare, idest neque per litteras mandata indicere, nec suorum fidelium per litteras audire querelas. Si enim hæc non impediuntur, Episcopi jurisdictio non suspenditur, nec ad Capitulum devolvitur. Sane proposita quæstione in *S. Congregatione Concilii* die 7. Aug. 1583. in causa Hiberniæ administrationis Ecclesiarum '*an casu, quo Episcopus ab hæreticis captus detineatur, non ita tamen arcte custoditus ut ipsi, ejusque Diœcesanis, facile non sit, saltem per litteras inter se agere, ejusdem Episcopi jurisdictio intelligatur suspensa et ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis devolvatur*', responsum est, '*jurisdictionem non esse suspensam*'. De hac re agit *Benedict. XIV. De Synod. L. 13. c. 16. n. 11.* Porro rationabilis prorsus est hæc decisio; nam novum non est in ecclesiastica historia, Episcopos Diœceses gubernasse per litteras licet captivi ab hostibus detinerentur. Tales fuere ex. gr. S. Ignatius Antioch., S. Polycarpus et S. Marcellus Summus Pontifex. Ex quo apparet

decipi prorsus qui arbitrantur posse capitulum eligere Vicarium Capitularem qui Diocesim administret in absentia Episcopi expulsi a Diocesi ex civilis auctoritatis decreto. Et quidem in hac re habemus *Decretum Pii IX.* per organum S. Congreg. Episcop. et Regul. diei 3. Maji 1862, quo irritas dixit electiones nonnullorum Vicariorum Capitularium factas ab aliquibus Capitulis ditionis neapolitanæ in Italia, cum Episcopi exulare cogebantur et vicarios, seu delegatos reliquerunt. Conf. *Collectamen Cardin. Bizzarri pag. 167.* Nam etiam in exilio potest saltem per epistolas necessitatibus Diocesis subveniri.

9. Casui proposito in c. 3. h. t. in 6°. auctores comparant etiam statum amentiae in quam incidat Episcopus vel infirmitatis vel senectutis, donec ab apostolica sede provideretur de administratore vel de novo Episcopo. Comparant etiam Auctores huic casum Episcopi diu in longinquas regiones peregrinantis, quin Diocesi administrandæ vicarium designaverit.

10. Tandem sede vacante Archiepiscopus sese ingerere non potest in administrationem Diocesis provinciae suæ visitatorem designando, nisi negligenter aut perperam capitulum administret. Quo in casu Archiepiscopus supplet negligentiam vel malitiam Capituli c. ult. h. t. in 6°. Immo nec ob excommunicationem qua forte ligatur Episcopus, ejus jurisdictio ad Archiepiscopum transit, ita ut fideles illius Diocesis quæstiones ad metropolitanum tribunal deferre debeant, sed per aliud remedium suppleri debet c. 1. h. t. in 6°. Archiepiscopus enim supplet negligentiam Episcopi, non vero culpam criminis. Remedium autem in hujusmodi casu ordinarium est, ut res deferatur ad Romanum Pontificem, qui juxta circumstantiarum exigentiam congruenter providebit.

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum et qualitatibus Ordinandorum.

1. Cum locuti simus de modis quibus personæ assumantur ad ecclesiastica ministeria, et ad prælaturas ecclesiasticas, opportunum est de ordinatione Clericorum agere, qua et ministri consecrantur in religionis officiis, et in gradibus ecclesiasticis constituuntur, qui necessarii sunt ut Clerici ad primas dignitates promoveantur.

Quemadmodum Theologi ita et Canonistæ de Sacramento Ordinis loquuntur. Ordinem esse unum ex septem N. L. sacramentis in s. Theologia demonstratum fuisse supponimus. De ejus natura et divisione aliqua in sensu canonum dicemus. Ordo dupliciter sumi potest: 1°. ut significet conditionem permanentem clericorum qui vi ordinis sui constituuntur in gradu præeinenti seu in dignitate quadam in Ecclesia Christi; 2°. ut significet ipsam sacram ordinationem, seu ritum quo homo in eo gradu permanenti dignitatis constituitur. Qua in significatione ordo est vere sacramentum. Ordo in præsentī titulo præsertim in hoc secundo sensu accipitur. Ordo quamvis in se sit unus, sacerdotale enim officium in Ecclesia respicit; tamen consideratur veluti quoddam genus plures species complectens. Septem porro Ordines a Concilio Tridentino numerantur in *sess. 23. c. 2. De sacr. Ordinis.* Non pauci Canonistæ post glossam in Can. Clerus dist. 21. docuerunt Ordines esse novem ad formam cœlestis Angelorum Hierarchiæ; quique propterea et sacram Tonsuram et Episcopatum inter Ordines recensendos esse putarunt. At quoad tonsuram, licet hic ritus in sortem Domini deputet hominem, ordo tamen dici nequit. Nam nullam potestatem confert actum aliquem specialem exercendi ecclesiastici ministerii, et inter Ordines a Conc. Trid. sess. 23. c. 2. non numeratur, sed dispositio ad ordines dici debet. Quod vero in cap. 11. de ætat. qual. et ord. præficiendor. dicatur simpliciter ordo clericalis, intelligi potest de deputatione illa quam per susceptionem primæ tonsuræ ex institutione Ecclesiæ acquirit homo ad conditionem permanentem seu ad statum clericalem. Nec difficultas fieri potest ex privilegiis et juribus ecclesiasticis obtentis ex tonsura; nam privilegia et jura possunt esse ex sola concessione Ecclesiæ, quæ tribuit etiam illis privilegia, qui jure divino illa non habent, ex. gr. laicis professis in approbata Religione.

2. De Episcopatu communior est canonistarum sententia, quæ eum esse ordinem a presbyteratu distinctum docet. Ex mente *Conc. Trid. sess. 23. de sacr. Ordinis* arbitrantur se rem conficere posse. Nam 1°. Trident. in ead. sess. c. 4. distincte loquitur de Ordinatione Episcoporum, sacerdotum et ceterorum Ordinum. 2°. In can. 7. ejusdem sess. docet, Episcopos esse Presbyteris superiores. 3°. In can. 6. ejusdem sess. sub pœna excommunicationis definit, admittendam esse sacram hierarchiam divina ordinatione institutam